

annonariis essent infestæ. Seditionibus enim excitandis nulla proclivior datur ansa, quam si in castris vivendi subsidia haud suppetant, & alimenta deficient. Semper etiam hanc curam animo suo versavit, ne commeatus per luxum & immoderatum usum profunderetur, sed frugaliter consumeretur, nec exercitus in rei frumentariæ & cibariæ angustias incideret. Vnde ordinaria per buccinam in castris Regis nostri signa sunt data, ad vasa viniaria atq; cerevisiaria occludenda, & animos ad preces atq; devotionem erigendos. O disciplinam plusquam auream! O laudabile factum omnibus aliis Imperatoribus imitandum!

Quin etiam militem contraxit lectissimum & exercitatissimum, quo hostibus suis formidabilis fuit, iisq; Panicum incussit terrorem. Eum vero non fastidiosè habuit, sed omnem amoris significationem declaravit, dum eos commilitones, imò filios appellavit, quorum vitam sua salute habuit cariorem: quippe quod salus publica in iis quasi acquiescat.

Exemplo quoq; porrò suis præjuit militibus Rex noster. Cum Persæ apud Zosimum flumine regioni immisso Iuliani exercitum transitu se prohibuisse putarent: Iulianus nihil motus antegredi cæpit pedibus ad genua usq; madefactis, exercitu toto Principem sequente. Pudore enim, inquit Historicus, prohibebantur reliqui, cur minus id facerent, quod Imperatorem facere videbant. Idem, ut relatu accepimus, Rex noster fecit non
D procul